



29
1739 84

PROGRAMMA INVITATORIVM DE HAERESI PHILOSOPHICA

QVO
DISPV TATIONES
IN VNIVERSAM PHILOSOPHIAM PRACTICAM
SEMESTRI AESTIVO
A. C. MDCCXXXIX
HABENDAS
INDICIT
ET SIMVL
GENEROLOS, NOBILISSIMOS, ATQVE
DOCTISSIMOS ACADEMIAE
CIVES
AD AVDIENDAS PRAELECTIONES
IN HANC PHILOSOPHIAE PARTEM
INSTITVENDAS
PER OFFICIOSE INVITAT

IO. ERNESTVS SCHVBERT
PHIL. ET LL. AA. MAG. ET ORD.
PHILOSOPH. ASSESS.

VITEMBERGAE, LITERIS SCHLOMACHIANIS.



si vereor, ne nimis sit periculosum, defendere, quod
forte plurima damnat multitudo; nisi tamen omnem
vniuerso orbe crediderim pulsam esse aequitatem,
cunctis hoc studium aduersum fore infestumque haud
suspicerar. Quantacunque enim exstigit hominum
male sanorum copia, quos furor aliorum sanguine,
expulsione, carceribus pauit, & ad saeuendum aut in
veritatis testes, aut ab illius tramite deflectentes immani crudelitate abripuit;
nunquam tamen & hoc ipso tempore desuerunt, queis animus longe
mitior erat & aequior, vniuersam rem secundum omnes suas dimensiones
ponderantibus. Quid ergo dubitem, hac nostra aetate, qua eruditii orbis
proceres, si vnum alterumue excepéris, vti solent pari eruditione ac pie-
tate, causae defuturos esse patronos. De *haeretis philosophica* quando nunc
dicere constitutum est, nemo me de haereticorum felicitate decertaturum
esse putet, aut malae illorum caussae consulturum; Quis enim bonus id
impune ferret? Neque tamen exscrabile *haereticandi studium* promo-
uere conabor. Id mihi nunc datum est negotiū, vt quaestionem expediam
haec tenus, quantum scio, intactam: **QVANDO PHILOSOPHVS DICI POS-
SIT HAERETICVS.**

Sed antequam ad rei caput venio, in haereseos notionem mihi vide-
tur esse inquirendum, vt, omni sublata confusione, quid sentiam, plane pos-
sit edifferi. Quid haeresis sit, notius est in foro theologicō, & in Ecclesias-
ticis,

sticis; quam quidem in Philosophia, licet non omnibus idem haereat conceptus. In eo magnus est Theologorum consentius, quod haeresin dicant errorem contra fundamentum fidei pertinaciter defensum. Multa quidem ad hanc definitionem reposuit Vir Illustris CHR. THOMASIVS in Disput. an haeresis sit crimen? quam methodo dialogica consecit; sed Theologis iniuriam fecisse mihi videtur, quando illam tantae obscuritatis postulauit, quanta vix villa maior concipi posset. Secus sentiunt per Germaniam ICTI in Ecclesiastico Iure, contendentes, haeresin esse constantem dissensum a Religione publice adprobata. Vid. PERTSCHIVS in *Jur. Can.* P. II. L. IV. T. IV. p. 292. Habentur autem per viuferium Imperium tres religiones approbatae, nimirus Pontificia, Lutherana & Reformata. Vid. INSTR. PACIS WESTPH. Art. VII. Latius patet Romanenium doctrina de haeresi, qua illum notant, qui vel leui arguento a iudicio Ecclesiae Catholicae recedit, aut illius saltim suspicionem haud leuem incurrit. Vid. L. 2. P. 3. c. de Haeret.

Verum enim vero causas sat graues habeo significatus istos non attendendi. De fundamento salutis altum silentium est in Philosophia. Ignorat ratio Christum, ignorat redemtionem, ignorat fidem. Dijudicat dogmata ipsi peruria, quae mysteriis inuoluuntur, intacta relinquit. Qui ergo dogmatum philosophicorum esse potest norma, quod Philosophus, qualis, non impune scrutaretur. Si dixeris, posse tamen Philosophum dici haereticum, qui a recepta doctrina temere discessionem facit; obsecro te, quenaam est recepta ista Philosophia? Recogita, quot fuerint sectae antiquorum? quot recentiorum? quot recentissimorum? Nulla haec tenus cecinit victoriā; nulla adeo exspiravit, quin haberet, quem illius misereret. De eo nondum conuenerunt, qui alias praescribunt docendi formulas, num ARISTOTELEM & venerabiles Scholasticos, an vero CARTESIVM aut alium bonum virum sequi debeant, qui Philosophiam profitentur. Vbi igitur lex ista, a cuius violatione sibi cauere debet Philosophus? Vbinam dicendorum norma? Vbi liber symbolicus? sed vtinam conuenirent tandem! vt confaret, quenaam Philosophia nos conferuaret, & quae perderet? Arbitramur, facultatem nobis concessam esse docendi alios, quae ipsi met sumus edociti, et quae nos didicisse demonstrauimus; sed, bone Deus! quantopere laceffimus, quando dogma forte nouum, quod ille alius a praceptorē non accepit, proponimus. Ecce haereticum! virulentis fauibus

voci-

vociferantur, & terribili isto accusa; pelle, excommunicata, persequere, crucifige, & si quid hisce durius est, fulminantur.

Sed quorsum prolabimur? Iustae quidem sunt querelae; at demus id temporum moribus, in quaे nos Deus reseruauit. Diximus hunc non esse haereticum, qui a recepta philosophia recedit: Siquidem in nullam iurata verba dedimus. Vnicum superest, instituto magis accommodum. Animaduerto, id cuilibet haeresi commune esse, quod non sit toleranda. Qui errat circa salutis fundamentum, & errorem pertinaciter propugnat, ex communi nostratiū sententia non est tolerandus. Ipse quidem D. LUTHERVS agnouit, propter haeresin neminem ad supplicium trahendum esse, in Tr. an haeret. sint persequendi? non tamen ab omni poena liberaunt haereticos. Vid. CARPOV. Pr. Crim. P. I. qu. 44. In imperio Germanico praeter tres approbatas non aliam religionem recipiendam aut tolerandam esse, fanciuit INST. PAC. WESTPH. Art. VII. p. 2. Pontificios vero ad unum omnes docere, haereticum e medio tollendum esse, testatur BEL-LARMINVS L. 3. de Laicis cap. 21. §. 2. Haeresin ergo philosophicam dicamus dogma philosophicum, quod tolerari nullo modo potest. Dogma philosophicum non nititur scripturae testimonio, sed argumentis, quae citra reuelationem formantur. Igitur ad illam provocare non licet haeresin probaturo. Et hoc primum est, quod obseruari volo circa definitionem: Alterum id esto: dogma, quod ab haeretico philosophico defenditur, ita debet esse comparatum, ut nullibi tolerari possit. Scilicet haud raro accidit, ut ob enormes malorum criminaciones doctrinae quaedam philosophicae prohibeantur, quae tamen sublato interdicto optime tolerari possent. Tum vero eodem iure doctrinam hanc diceres haereticam, quo Apostoli a Iudeis Euangeliū praedicare prohibebantur. Prohibitio non facit, sed supponit haeresin. Ut ergo patescat, quaenam philosophia prohiberi possit, in haereseos notionem inquirimus: Quandoquidem nullam philosophiam, nisi quae haeresis est, prohiberi posse arbitramur.

Diximus haeresin philosophicam esse dogma philosophicum, quod tolerari nullo modo potest. Viuimus in ciuitate, nec quisquam statum naturalem desiderat, qui illius incommoda probe perspecta tenet. Illorum finis, qui spreta aequalitate sua, qua gaudebant in eodem, alicuius imperium in se elegerunt, erat securitas & externa felicitas: Siquidem experti erant, se extra ciuitatem nec tutos, nec felices viuere posse. Qui ergo sum-

summum imperium tenet in ciuitate, eo curam suam dirigat, necessarium est, ut conseruetur publica securitas, & externa felicitas promoueatur. Quapropter illud tolerari nullo modo potest, quod aut hanc impedit, aut illam perturbat.

Hic ergo haeresin philosophicam fouet, qui dogma tuetur, quod aduersum est securitati publicae aut saltim externae felicitati. Diximus hanc haeresin fatalem in *Comment. de Iure Princ. circ. sacr. cap. 2. §. 92.* Sed diuisio inter haereticum fatalem et non-fatalem instituto erat accommodata. Haereticus non-fatalis proprie non est haereticus.

Hisce praefactis facilius erit, recensere illorum sententias, quae ab haereseos criminis absoluvi nequeunt. Exhibuimus quasdam *loc. cit. §. 95. seqq.* diximus, haereticum esse, qui docet, haeretico non-fatali fidem non esse seruandam, §. 95. subditos non teneri ad obsequium principi praestandum §. 96. non licere bellum gerere §. 97. principi non competere ius sacra ciuium examinandi §. 102. sed non desunt aliae: Iura Maiestica, quae diueli nequeunt ab imperio ciuili, complectuntur inter alia potestatem legislatoriam, ius puniendo delinquentes, ius vitae & necis, ius extorquendi veri reuelationem, et sic porro. Quae igitur sententia quicquam eorum negat, est haeretica.

In eo haec tenus omnes conueniunt, quod perturbator securitatis publicae, & qui Maiestatem laedit suis Φιλοσοφημένοις, tolerari nequeat. Sed experimur, & alias damnari sententias, atque haereseos postulari, quae nec Maiestati nec securitati publicae videntur repugnare. Praecipue intollerabilem esse Atheum dictant in Republica, & execrabilem capropter haeresin esse perhibent impiam illorum opinionem. Nihil dimoueor. Sit ita, quemadmodum vere est, Atheismum esse haeresin: Mea tamen sententia non labefactatur. Haeresis est dogma, quod turbat publicam securitatem; Et ad quocunque haec notio non potest applicari, illud haereseos nomine iniuste diffamaretur. Nihilo tamen secius contendeo & vrgeo, Atheismum esse haeresin, & qui illum defendit, saltim patrocinatur suis principiis isti huic hypothesi, haereticum.

Quid ergo? Num & Atheus turbat securitatem publicam? Ita omnino est. Sed velim distinguas *professum a non-professo*. Qui non profitetur, sed saltim sub pectore fouet largissimam hanc malorum segetem, ideo non statim turbas excitat, iura principis aut conciuim violat. Id vero utique

facit

facit professus. Tollit enim iuramenti usum & necessitatem. Quandoquidem Athei iuramentum, si quod datur, quemadmodum usum est nonnullis, non est nisi actus civilis. Qui enim iurat, Deum vindicem in se deposito promisso non satisfacturum. Ridet igitur, qui numinis existentiam negat, iuramenti obligationem, idque turpiter violandi concedit licentiam, queis impia hanc suam persuadere nititur hypothesin. Sed quem fugit, Religionem & iuramentum esse vinculum istud, quo ferme solo legum ciuilium contemptores in officio suo continentur? Iuramento princeps sibi subiicit cives, & ad parendum obligat; Iuramento fidei dant ministri; iuramento pacis robur conciliatur, illisque adimplendis fortius adstringuntur pacifcentes. Evidem sublatu iuramento non omnis tollitur obligatio; tollitur tamen ista, quam solam agnoscit plurima hominum multitudo. Quot enim existent perfidi, quot foedifragi, quot desertores, quot adulteri, nisi numinis vindictam metuerent? Ecce igitur praestantissimum medium, quo summus imperans coercere potest turbam, & securitatem publicam conseruare! Proinde Atheum ab haereseos macula absoluere non audeo. Memineris vero, me haec omnia de professo asseruisse: Existimo, & eos his calculum adiecturos esse, quibus nostra aetate Atheismi patrocinium, quo iure, non disputo, exprobratum fuit.

Eodem iure systema philosophicum tanquam haereticum reiiciimus, quod resertum est principiis, quibus superstrui potest Atheismus. Cum enim principia in se contineant rationem conclusionis, illa positis principiis non potest non admitti. Ne vero iniuriam faciamus aliis, caendum esse iudico, ne statim imputemus autori, quod ex ipsis principiis, quamvis legitime, deducitur. Quod enim nobis fieri nolumus, idem & aliis non faciamus. Iam uero meminerimus, nos homines esse, nihilque humani a nobis prorsus esse alienum. Nemo se credit ab errandi periculo immunitus esse. Accidit persaepe, ut admittamus principia, non admissa, si praeuisae fuissent conclusiones, in quas alias facilius incidit, sive aqua mente, sive animo nobis nocendi placita nostra examini suo subiiciat. Aequitas & charitas requirunt, vt nos inuicem conseruemus. Non decet philosophum, ne dum Christianum, qui exprimere debet Christi mansuetudinem, perdere errantes: Potius operam demus, vt ad saniorem mentem reuocemus eos. Sed nihil efficies odio, nihil persecutione, nihil malorum representatione: Intellectus ad adsensum non cogitur comminationibus, sed argumentis,

iisdemque non qualibuscumque, sed stringentibus & demonstratiuis. Quodsi ergo experiris, aliquem fouere pestilentissima Atheismi semina, sapienter ages, si de iisdem in charitate, atque vt decet virum doctum, ipsum admonueris. Si admonitus & de consequentia conuictus pertinax sententiam tueri pergit, hunc haereticum declarato. Placet hac de re temperatum iudicium Viri quondam insignis 10. HERM. AB ELSWICH. in diff. de recent. circ. Atheismum controu. §. 4.

Sed impossibile est, ut systema, quod caeteroquin sibi constat, nec contradictionibus scatet, de principiis Atheisticis suspicuum sit, quod vrget principium rationis sufficientis, & mundi contingentiam defendit. Hoc enim supposito dupli principio fieri nequit, quin diuini numinis, entis a mundo diversi, existentia admittatur. Idcirco necessum est, vt, quando aliquem haereseos postulas, ante omnia euincas, eum aut alterutrum horum principium negasse, aut non esse ratiocinatum ex suis principiis. Neutrum si facere quieris, suaderem, vt taceas, ne tua criminandi detectabilis libido omnibus innotescat, & ipse famam perdas.

Hisce ad liquidum perductis intelliges, duplex dari principium, ex qua haeresis philosophica dignosci & diiudicari debet, alterum tamen alteri esse subordinatum: Scilicet hoc primum est:

Haereticus est, qui dogma propugnat aduersum securitati publicae, inribus principis & ciuium obligationi, utpote connexis.

Alterum hoc esto:

Haereticus est, qui Atheismum docet, saltim principia isti pertinax substernit.

Quemadmodum vero haec dogmata haereseos philosophicae digna sunt infami titulo, sic in contrarium arbitror, illi non sine magna iniuria exprobari haereticum, qui neutrum participat, sed potius ab vtriusque suspitione suum sistema liberare nouit. Cum itaque ille tantum in ciuitate tolerari nequeat, qui haeretica dogmata souet, non est, quod adeo restrinxamus philosophandi libertatem, & eos doctrina interdicamus, vel penitus Rep. eiiciamus, qui tale quid odit & auersatur.

Tantum vos scire volui, COMMITTONES OPTIMI, praeliminariter, quibus animum deditissimum & inseruendi cupidum, simulque labores veftro commodo & vtilitati destinatos significare debui. Obseruantiae fuit, cedere

ce lere plurimorum desideriis, & officii, fidem, quam dederam, liberare. Philosophiam practicam vniuersam, doctrinam morum, Ius naturae & sociale in unum sistema redactam consuetis commentationibus explicare vix occooperam; cum auditorium meum intelligeret, quam laboriosum aut taediosum esset, integrum horam scriptione consumere, aut docentis sermonem interruptum audire, meque precibus fatigaret, ut opus, quod vtique mancum erat, & vberiori principiorum applicatione indigebat, publici iuris facerem, vt haberent, quod legerent ante & relegerent post interpretationem, & tempus melioribus negotiis impendi posset, quod scribendo perdere oporteret. Evidem id me praefiturum promiseram in praefamine Inst. Metaph. sed interpositi labores id ad tempus longius distans reiciendum esse credere me iusserunt. Vicit tamen bono animo reluctantem studiu[m] obtemperandi meis, & hisce rationibus commotus hoc qualecunque opusculum & superiorum censurae & prelo iam submittit. Ut vero omnem finium amplitudinem emetiamur, singula capita solemini disputatione in Auditorio maximo ventilanda proponam. Comitabuntur me in cathedralm Viri doctissimi & nobilissimi, Academiae ciues & ornamenti, quorum nomina in praefamine ipsius operis significabo. Honifica vestra praesentia, COMMITITONES OPTIMI, si vtrumque auditorium & disputantis & docentis illustrius sit redditura, me vobis nouo beneficiorum genere firmius obstringetis. Dabam in museo A. O. R.

MDCCXXXIX. d. II. April.



Göttingen, Diss., 1739 (1).



Sb

v7n8

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

1736
27
**PROGRAMMA
INVITATORIVM
DE
HAERESI
PHILOSOPHICA**

**Q V O
DISPV TATIONES
IN VNIVERSAM PHILOSOPHIAM PRACTICAM
SEMESTRI AESTIVO
A. C. M D C C X X X I X
HABENDAS**

INDICIT

ET SIMVL

**GENEROLOS, NOBILISSIMOS, ATQVE
DOCTISSIONS ACADEMIAE
CIVES**

**AD AVDIENDAS PRAELECTIONES
IN HANC PHILOSOPHIAE PARTEM
INSTITVENDAS
PER OFFICIOSE INVITAT**

IO. ERNESTVS SCHVBERT
PHIL. ET LL. AA. MAG. ET ORD.
PHILOSOPH. ASSESS.

VITEMBERGAE, LITERIS SCHLOMACHIANIS.

